



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ivdicivm Revolvtionis Anni, M. D. LIII. & trini aspectus
capitis Medusae & Martis**

Basilicus, Jacobus

[S.I.], 1554

VD16 ZV 1094

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-12517

GENERO=

SO DOMINO, DOMINO CA-
sparo Pflugio Nobili, Boharni a Raben-
stein, Bohemo, Betschouia hæredi, Ta-
chouiaq; Domino, &c. Iacobus Va-
silicus Demarchetus Salutem
a Domino Iesu pre-
catur.

GENEROSE DOMINE ET LON-
ga Nobilitate cognite Baro, Domine gratio-
se. Licet omnibus ætatis inde plane
ab orbe condito uaria uitia ac scelera inter mor-
tales potenter uiguerint regnauerintq;, Tamen
præsens hoc nostrum sæculum malitia reliquas om-
nes ætates longè uincens, sua horribili peruersitate
inductum iam olim de immundo mundo prouerbium
plane egregie confirmauit. Non quod ipsa rerum
natura, quæ ab optimo opifice Deo optima creata est,
per se sit immûda, sed quod malorum hominum ne-
phandis peccatis iniquissimisq; ac peruersissimis iudi-
cijs omnia peruertantur ac contaminentur. Qua-
propter cum ipse uiderem, contempto apud hoc no-
strum triste sæculum Dei uerbo & doctrina, rem ui-
tamq; hominum eò delapsam, ut iam non Dei dilectus
Elius eiusq; sacrosanctum Euangelium (quos alio-

A 2 qui solos



qui solos audiri omnipotens ille Pater cœlitus iusserat) Verum uarie creature mira prodigia , tristia portenta, adeoq; etiam ipsa astra ob nostri iudicij execrandam peruersitatem nos monere, & ad effugientiam uenturam, iam iamq; imminentem iram, tristissimasq; pœnas (in testimonium illis inquit scriptura) cohortari cogantur , Cum inquam cernerem magis iam prob nefas astra , quam Deum eiusq; uerbum audiiri , egoq; mediocrem operam in astrorum scientia hactenus collocassem , uolui & ego meam sententiam de eo , quod Deus optimus maximus, hoc anno per astra humano generi indicare uidetur, breuiter, licet ob alias quasdam occupationes nimis tardè, exponere. Imminent enim planè multæ dominiorum mutaciones, multæ item inter inimicissimos coniunctiones & reconciliaciones, imo quoq; bonis, qui hactenus oppresi iacuerunt , egregia quædam malarum rerum (ut omnium est uicissitudo) in bonas conuersio speranda est. Te autem potissimum generose Domine delegi, licet exulem & ipse exul, eximia tamen animi magnitudine , sinceritate ac probitate egregie cum omnium admiratione lucentem, cui hoc meum iudicium de huius ac superioris anni coniunctionibus dedicarem. Quod primum ac præcipue eō feci, ut, quoniam tuam egregiam innocentiam, animiq; miram lenitatem, modestiam, et fermè nimiam pacis quietisq; cupiditatem a multis bonis rerumq; peritis plenissime perdidici,

T. C.



T. C. solatium aliquod afferrem , ostenderemque
spem adesse bonis ac innocentibus , qui hactenus ab
alijs oppressi iniustissime fuerunt , eos aliquando tan-
dem uitam suam , a maioribusq; longissima serie reli-
ctam dignitatem fortunasq; Deo adiuuante , receptu-
ros esse . Volui etiam hac occasione meam spem cum
tuæ clarissimæ dominationis futura fœlicitate coniun-
gere . Hoc igitur tenue meum studium & scriptum ,
ut benigne accipias suppliciter & reuerenter , te pi-
entiissime Domine ac patrono oro . Vale multis sœ-
culis fœlicissime , atq; nos tuo patrocinio olim com-
mendatos seruato . Ex Mansfeldia 16. Ianu. Anno
a nato Domino , 1554.

PRAEFATIO MICHA. ELIS CAELII.

DVLCISSIMA PROFECTO VOX
est Filij Dei , & plena consolationis , quam so-
nat per Prophetam , dicens : Viuo ego nolo
mortem peccatoris , sed ut conuertatur & uiuat . Si-
gnificat enim se Deum esse non perdendi , sed saluos
faciendi , ut Psalmus inquit , tantum ut resipiscentes ad
se se conuertantur : Neq; uero hanc nostram conuer-
sionem requirit Deus tantum per ministerium Eccle-
siasticum , sed etiam omnes creaturæ , maxime uero sy-
derum positus testari uidentur , se in eum finem con-

A. 3 ditos ,